

Cognoscentes. De consti. Pro quo vide cap.
I. de Priuilegiis, & Concil. Trident. Sess. 25.
cap. II. de Reformatione, & Syl. Religiosi.
7. §. 34.

¶ Octaua veritas. Si autem Regularis non
acceptauit dictam Ecclesiam Parochialē ut
Curatus, sicut in effectu provincia Yucata-
nen sis sancti Joseph, & aliquæ Fratrum Mi-
norum provinciæ non acceptarunt anima-
rum curam, tunc tenentur facere, & scire
facere ea, quæ pertinent ad officium, quod e-
xercent. Videlicet si Baptizent debent scire
ea, quæ pertinent ad hoc Sacramentum. Idem
si confessiones Indorum audiant. &c. De
quibus supra in Prima veritate, quia hec exi-
git horum Sacramentorum debita ad minis-
tratio. Et ideo vel supra dicta Regularis nō
exerceat, vel seruet in eorum exercitio scitu
necessaria. Quia obedientia non liberat à
peccato illum Confessarium, qui cognosens
se non intelligere quod opus est ad audiendū
Confessiones eas audit. Solum. n. excu-
sat illum, qui dubitat, an ipse sciat, an nō. vt
docet Nauarr. in Manuali. c. 4. n. 9. Et unus
quisq; nosse debet id, quod illi necessariū est
ad suum munus, & officium recte exercēdum

Ee 4 etiam